Critika Studia Liviana

ad

sollemnia anniversaria

Gymnasii regii Bambergensis

celebranda scripsit

Dr. Antonius Mayerhoefer.

Bambergae 1880.
Typis officinae W. Gaertnerianae (G. Siebenkees).

311

T. Livi libri multum quidem in emendantium manibus versati et vulgaribus manuscriptorum vitiis liberati quot mendis etiam nunc laborent, neminem puto fugere, qui semel pauca capita nedum totos libros diligenter examinaverit. quocirca hac equidem scriptiuncula paululum ad emendandam T. Livi orationem conferre studui aliquot locis ex prima, tertia, quarta decade tractatis.

De ratione, qua praecipue usus sum, ut pauca dicam, Mich. Gitlbaueri libro, cui inscriptus est titulus: »de codice Liviano vetustissimo Vindobonensi« non nego me haud parum impulsum esse, ut maxime ad id animum adverterem, ut vocabula corrupta, quae adhuc restitui non poterant, quaeque editores iam ut vitiose nata eicere conati sunt, nova sententiae interpretatione servarem atque emendarem. in libris enim vetustis non modo litterae aut male geminatae aut semel pro geminatis scriptae, syllabae verbaque aut bis posita aut, quod multo facilius factum est, praetermissa sunt, sed etiam librarios scripturae compendiorum, quae sine dubio iam in scriptis maiorum litterarum ad cotidianum usum pertinentibus usitatae erant, plerumque ignaros textum persaepe perdidisse constat. similiter Madvigius in emend. Liv. pag. 245 de codice Puteano: »ex praestantissimo hoc, inquit, si cum ceteris comparatur, ad criticum usum codice intellegi potest, quam vitiosi ante mille annos iam fuerint scriptorum Latinorum codices; et quemadmodum et lacunas et foliorum transpositiones non

in Puteano ipso ortas, sed iam in codice eius parente fuisse videbimus, sic etiam scribendi errorum bona pars antiquior Puteano fuisse potest;« et pag. 247: »illud diligenter animadvertendum est, librarium non raro, dum omissis litterarum ductibus et aciei intentione speciem animo oblatam Latini verbi sequitur, etiam cum syllabarum detractione et adiectione ea effecisse, quae mentem a vero longe abducant et quae non sine gravi et libera medicina corrigas.« hac tamen via et a prava licentia et a superstitione, ut ita dicam, cavendum semperque usum scriptoris et proprietates orationis respiciendas esse omnes consentiunt.

Subsidia critica ut paucis verbis attingam, primae decadis manuscripta, quia is locus, quem inde tractavi, non codicum auctoritate, sed communi usu Latino emendandus est, praetermittenda mihi videntur.

Tertiae decadis codex Puteanus, qui olim Cl. Puteani fuit et nunc in bibliotheca Parisiensi adservatur, maioribus litteris saec. VII, aut ut alii putant, initio saec. VIII scriptus in quinque prioribus libris solus regnat et praestantissimus fons in ceteris quoque adhuc est habitus. qui quamquam mendis seu ab eo, qui librum scripsit, illatis, seu ex eo libro, de quo descriptus est, insertis abundat, tamen maxima religione, quae in vetustiore libro scripta erant, servasse videtur. huic igitur codici, cui et ab initio et a fine paululum mutilo — desunt enim libri XXI capita quadraginta et pars quadragesimi primi, libri autem XXX pars fere tertia a cap. 30, 14 — codex Mediceus II, saec. XI usque ad extremam libri XXX partem, et codex Parisiensis, olim Colbertinus nominatus, saec. XII, et Bambergensis II, saec. XI, a libro XXIV, c. 7 oriundus supplemento sunt, huic igitur codici summa auctoritas tribuitur et usque ad nostram aetatem ex eo omnes libros, quorum notitiam habemus, manasse inter omnes constare videbatur. sed iam anno 1860 Hertzius in editione Liv. vol. II, pag. VI, hic illic lacunas ab optimo libro relictas ex genuino aliquo fonte Puteano pleniore in deteriore codicum classe expletas

esse suspicatus est, neque tamen suam sententiam contra doctissimos homines et vetustiores et recentiores: Gronovium, Alschefskium, Weissenbornium, Madvigium cf. emend. Liv. edit. I, pag. 199 esqu. adversantes sustinere conatus est. cum autem Henr. Guil. Heerwagenus in libro suo: »commentatio critica de T. Livii XXVI, 41, 18—44, 1« demonstravisset, Spirensem codicem, — cuius primus B. Rhenanus scripturas usque ad XXX, 16, 1 ad Aldinae verba Liviana emendanda in Annotationibus editioni Frobenianae a. 1535 praefixis edidit, multaque ex eo nominatim, nonnulla tacite emendavit, — hic et illic certiora verae lectionis vestigia quam Puteanum praebere nonnullasque partes in Puteano deperditas (XXVI, 41, 18 ad 43, 8) in Spirensi et aliis codicibus genuina forma servatas esse, cum et K. Halmius folio illo singulari saec. XI, in bibliotheca Monacensi invento, quod Livi verba ab XXVIII, 39, 16 ad 41, 12 continet, cf. Sitzungsbericht der bayer. Akademie der Wissensch. 1869, II, pag. 580—584, et Guil. Studemundus in Analectis Livianis (pag. 6—13) editis palimpsesti Taurinensis fragmentis graviter illam sententiam confirmassent, — satis perspicuum erat, complures libros a codice aliquo profectos esse, qui praeter Puteanum tertiam decadem magna cum fide servavisset. hanc rem etiam Theod. Mommsenus in Analectis Livianis et nuperrime Aug. Luchsius novos libros investigantes et eorum cognationem non modo cum codice Spirensi, sed etiam inter sese definientes comprobaverunt. qua in re Aug. Luchsius in Prolegomenis librorum XXVI—XXX felicissime contigisse dicit, ut codicem Harleianum in libris undetricesimo et tricesimo ex codice descriptum esse appareret, qui omnium quotquot innotuissent, proxime Spirensi cognatus nec aut interpolatus aut cum Puteani recognitione permixtus esset.

Editionem Frobenianam a. 1535, cui, ut supra dixi, B. Rhenanus lectiones codicis Spirensis praefixerat, non ab Rhenano, sed ab S. Gelenio, qui ipse ex codice iterum inspecto multas bonas lectiones protulit, esse curatam, eius rei indicium praefatio est, quam Gelenius conscripserat. cf. Luchsius Pro-

legomena pag. XII. sed tamen eorum emendationes adnotationesque caute adhibendae videntur. »uterque enim, ut Luchsi verbis utar, sua coniectura quaedam invenire et, quae in codice legebantur, alia comprobare alia respuere alia prorsus neglegere poterat. quae autem in libris codici Spirensi cognatis non ex ipso codice descriptis eadem inveniuntur, ea ad hunc codicem referenda esse probabile videtur.«

Iniquius res se habet in quarta decade. nam deteriorum codicum magnus quidem numerus exstat, sed multa emendationis vestigia praebentes et coniecturis saepe ineptis onusti nihil fere ad certam lectionem eruendam conferunt. optime huius decadis libri volumine Bambergensi I, agglutinato illi, de quo supra dixi, servati sunt, qui codex unus libri tricesimi partem priorem et ceteros octo priores libros usque ad XXXVIII, 46 continet. accedit ad eum codex Moguntinus, qui quidem interiit, sed tamen notitiam eius etsi tenuem ex editione Maguntina a. 1519 et Basiliensi a. 1535 habemus. hoc enim libro S. Gelenius una cum Spirensi usus est in recensenda hac decade, ita tamen, ut eos velut pares et vetustate et fide esse existimaret.

De ratione, qua ille emendavit, Weissenbornius in »Comment. philol. in honorem Theod. Mommseni« accurate disseruit, unde videmus, eum plerasque quidem emendationes ex utroque codice sumpsisse, sed alias ex altero utro petitas utrique tribuisse; nec omnes quidem scripturas codicum accurate retulisse, sed errores et menda, quibus deformatae essent aut esse viderentur, et rem et sententiam requirentem correxisse.

Ac nunc quidem priusquam id, quod mihi propositum est, aggrediar, de tertia decade, quamquam codex Puteanus haud raro voces et singulares et complures ac tota interdum enuntiata omittit, quae lacunae altera codicum familia Σ saepe feliciter supplentur, tamen non possum non profiteri, multis locis corruptis valde cavendum esse, ne Puteani auctoritas minuatur. Hic enim codex archetypo propior et librariorum manibus intactior in ipsis corruptelis speciem maioris religionis

et integritatis habere videtur, sive vocabula in Puteano corrupta in Σ desunt, ubi Liviani oratio vocem aliquam desiderat, sive in Σ perspicua emendationis vestigia inveniuntur, ubi secundum usum Livianum alia scripta fuisse persuasum habeo (XXIII, 19, 7; XXX, 18, 7; XXX, 29, 4).

Quod idem in quarta decade evidenter intellexisse mihi videor ex XXXIV, 2, 12, et aliis locis uno excepto XXXIV, 6, 7, quibus omnibus Bambergensis et Moguntinus, etsi vitiosa sunt, quae tradiderunt, tamen eas scripturas praebent, unde vera lectio facili mutatione restitui possit ut XXXIV, 6, 10; XXXIV, 16, 9.

Ipse prorsus contentus ero, si una alterave mearum emendationum coniecturarumque hominibus harum rerum peritis probabitur, et si ii, qui in Livio emendando occupati fuerunt, hac laude me dignum esse dicent, non modo et litterarum ductus et sententiarum nexus, sed etiam orationis legum ususque T. Livi rationem esse habitam.

Sequntur libri, qui praecipue adminiculum mihi suppeditarunt:

Edit. Basil: „ex officina Herwagiana a. 1539 cum annotationibus Beati Rhenani et Sigismundi Geleni.“

Edit. Basil a. 1740: „cum perpetuis Car. Sigoni et J. F. Gronovi notis; Jac. Gronovius probavit suasque et aliorum notas adiecit.“

Drakenborchius a. 1823: „cum notis integris Laur. Vallae ctr. Beati Rhenani, S. Geleni ctr. J. Fr. Gronovi et Jac. Gronovi.“

Alschefskius: liber tricesimus a. 1839.

Fabrius: libri XXI et XXII; XXIII et XXIV, a. 1840.

Hertzius: editio Liv. a. 1857—1864.

Madvigius: editio Liv. a. 1861—1866.

„ emendationes Livianae, edit. II, a. 1877.

Weissenbornius: editio Teubn. vol. II et IV, a. 1876.

„ editio Weidm. vol. IV, a. 1877; vol. VII, a. 1867.

Woelfflinus: liber XXII, a. 1875.

Luchsius: libri XXVI—XXX, a. 1879.

Kühnast: Livianische Syntax.

Alii libri, quibus hic et illic utar, eodem loco nominabuntur.

II, 21, 4.

„*Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules* .... *nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis.*“

Disputandum mihi est de verbis: „*tanti errores implicant temporum.*“

Quamquam editores hoc loco et vetustiores et recentiores in tradita scriptura nihil mutandum esse putabant, tamen, quoniam parum convenienter ut prodita sunt verba ad aures accidunt, neque alio loco vocabulum *implicare* sic absolute positum est, cum aut activum cum obiecto habeamus ut XXXX, 46, 6: „*implicaverint animos vestros*“ aut constructio sit passiva ut XXXX, 56, 8: „*gravi morbo est implicitus*“ aut XXIII, 34, 11: „*in periculosum ... morbum implicitus,*“ persuasum equidem habeo, nostram sententiam interciso obiecto aliquo corruptam esse. similiter Georgesus in lexico suo 1869 suspicatur, ad evitandam hanc insolitam constructionem verbi *implicare* pronomen *nos* excidisse legendumque esse „tanti errores implicant *nos* temporum.“ et eo minus tradita scriptura mihi probatur, quod in nostra sententia Livius non oratorio stilo, ubi magis id ferendum esset, sed simplici narratione utitur.

Ne longus sim, non assentior quidem Georgeso opinans, multo commodius faciliusque textum posse restitui; sed occurrit mihi, post genetivum *temporum* excidisse accusativum similiter

ac postremae litterulae scriptum, unde genetivus pendeat, vel ut breviter dicam, emendandum esse: „tanti errores implicant temporum *rationem*."

Vocabulum *ratio* enim plerumque et id in perantiquis codicibus per notas scribitur: *rō* = ratio, et idcirco *rēm* = rationem; cf. Wattenbachius: „Anleitung zur latein. Paläographie 1878, pag. 71."

Cum igitur in archetypo censeam fuisse *temporum rēm* vel *tempor*ū vel *tempor* |, quae scripturae ut vidi ex Gitlbauero pag. 60 et 61, iam maioribus litteris adfuisse putantur, vel etiam *tompor. rēm* (or. = orum persaepe saec. XI et XII) neminem puto dubitaturum esse, quin facillime accusativus *rēm* cum antecedente syllaba *rum* confusus interciderit.

De voce *ratio* ipsa, ut pauca dicam, primum inter omnes constare existimo, eam persaepe adhiberi ad circumscribenda substantiva, ita ut, etsi vocabulo *ratio* nihil ponderis hoc loco tribuere tibi in mentem venerit, tamen, quia lectio *temporum rationem* significat *tempora*, cf. Zumptius gramm. § 678, nihil alieni eius modi coniectura habeat. sed si vocem *ratio* censeas alicuius esse ponderis, non quidem opus esse mihi videtur, id quod inter omnes constat rectum esse et usitatum, exemplis demonstrari, sed tamen pauca proferre institui. sic XXXVI, 23, 7: „cum fatigatos iam Aetolos sciret consul et ex *ratione temporis* et quod ita transfugae adfirmabant;" Tac. dial. cap. 24 . . . „cum praesertim CXX annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici *ratio temporum* collegerit;" similiter Cic. Brut. XIII, 49: „et Graeciae quidem oratorum ortus atque fontes vides ad nostrorum *annalium rationem* veteres" . . .; C. Suet. Tranqu. de vita Caesarum I, 40: „quo autem magis in posterum . . . *temporum ratio* congrueret."

Praeterea lectionem *implicare rationem* usui Latino accomodatam esse, apparet ex Cic. Pomp. 7, 19: „*ratio* pecuniarum, quae *implicata* est cum pecuniis Asiaticis" et Cic. disp. Tusc. IV, 27, 59: „itaque bene adhibita *ratio* cernit, quid optimum sit, neglecta multis *implicatur erroribus*."

Lectionem *temporum ordinem*, quae saepius invenitur, hoc loco recipere non audeo, quia post pauca verba vocabulum *ordinatis* positum est.

Eodem loco sum in dubio, nonne codicum scriptura: *qui consules secundum quosdam*, quam editores mutarunt in *quosnam*, exstiterit syllaba *dum* verbi *secundum* nescio quo casu repetita. nam quemadmodum Graeci dicunt *οἷος ὢν οἷα ποιῶ*, cf. Soph. Aias 557: „*δείξεις ἐν ἐχθροῖς οἷος ἐξ οἵου ʼτράφης*“ et 503: „*οἵας λατρείας ἀνθʼ ὅσου ζήλου τρέφει*“, ita Latini scriptores in eiusmodi sententiis contractis iisdem vocabulis uti solent ut „*quis quid* faciam“ — „*per quem quae* facta sint scio.“

Livius admodum libenter is quidem particulam *nam* cum pronominibus interrogativis coniungit, quod tamen si hoc loco fecisset, eum puto scripturum fuisse: *quinam consules secundum quosnam*; qua de re consentio cum Reisigio, qui suspicatur ad Soph. Oed. Col. pag. 307: „*qui consules secundum quos.*“

Tota igitur sententia sic erit constituenda:

> „*Tanti errores implicant temporum rationem aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quos nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis.*“

XXII, 59, 14.

Codicum scriptura haec est:

> „*Illud etiam in tali consilio animadvertendum vobis censeam, patres conscripti, cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet, qui vos hospitum numero captivos habuit?*“

Edit. Basil. 1539: „qui *nos* hospitum numero *habuit captivos.*“

Vulgata: „qui *nos* hospitum numero captivos habuit,“ quae lectio ne speciem quidem veritatis habet, repugnatque

ei temporum ratio, quia Romanorum bellum cum Pyrrho gestum sexaginto fere annis ante finitum erat; et si forte opponas, *nos* significare *nostros captivos*, haec vocis interpretatio claudicare mihi videtur, quia, nisi substantivum aliquod accedit ut *cives*, nostros captivos censeo eos esse, quos ipsi cepimus.

Codicum scriptura eadem causa mihi non probatur, quod inter eos, ad quos haec verba dicta sunt, non iam fuisse puto, qui Pyrrhi fuerant captivi; et si forte suspiceris, in archetypo fuisse *ũrs*, ita ut legendum sit *vestros*, oppono equidem, pronomini possessivo et ea, quae supra de *noster* dixi, et locum in verborum ordine repugnare. qua de re iure includit vocabulum Fabrio praecedente Weissenbornius suspicatus, *vos* ex sequenti syllaba *hos* verbi *hospitum* ortum esse; Hertzius et Woelfflinus secuti sunt et Maduigius plane id omittit.

Sed tamen rem examinabo, si quid aliud de hoc vocabulo facere possim; si vero id, quod proponam, non probabitur, iam nunc dico, Fabrium rectum cognovisse.

Duplici enim modo *vos* depravari poterat. primum tibi in mentem veniat, vocem illam ex praepositione *in* corruptam esse, afferenti, scriptionem *in numero* Ciceronis esse et aliorum auctorum, et Livium quamquam semel et iterum ut XXV, 22, 12: „hostium futuros *numero*;" XXXVI, 35, 9: „se utrum hostium an pacatorum eos *numero* haberet nondum scire" praepositionem neglexerit, tamen etiam praepositione usum esse ut XXIX, 6, 4: „*in* eo captivorum *numero* fabri quidam fuere;" XXXIX, 28, 13: „quo *in numero* me apud vos esse velitis," qua de re haud inepte legas: „Pyrrho videlicet, qui *in* hostium *numero* captivos habuit."

Sed alia via locum emendandi reliqua est, quam in sequentibus persequar. quid igitur? cum enim in exemplis, quae antea protuli, casus genetivi de ablativo *numero* dependentes aliquid veri, id est veros hostes, veros pacatos, veros captivos exprimant, hoc loco nescio an non Pyrrhus captivos ut veros hospites habuerit, qua re fortasse aptum esse censeas particulam comparativam ad genetivum *hospitum* accedere;

et quoniam per omnes libros ex permultis exemplis apparet, auctorem ad lenienda singula verba particulam *velut* praecipue adhibuisse, sicut II, 2, 3: „Sup. Tarquinium *velut* hereditatem gentis scelere ac vi repetisse;" II, 5, 6: „a ceteris *velut* ab ignotis capitibus;" II, 6, 10: „*velut* aequo Marte pugnatum est;" II, 45, 7: „consules *velut* deliberabundi capita conferunt;" XXX, 28, 8: „Scipio et Hannibal *velut* ad supremum certamen comparati duces" et paulo infra § 11: „(Charthaginienses) *velut* fatalem eum ducem (Scipionem) in exitium suum natum horrebant;" XXXVI, 29, 6: „quod ubi nuntiatum est, *velut hospitis*, non hostis adventu motus Philippus." XXXVII, 30, 10: „*velut* manu ferrea iniecta;" praeterea quod cum sententia, de qua disputo, sequentia exempla, ubi tamen aliae particulae adsunt, conferenda mihi videntur: XXXVII, 1, 4: „quia non *ut hostibus* modo, sed *tamquam* indomitae et insociabili genti suscensebant;" XXXIX, 28, 13: „quo in numero me esse velitis — si *tamquam inimicum* et hostem insectari propositum est, pergite ut coepistis facere, sin aliquis est respectus mei *ut socii* atque amici regis, deprecor ...;" ex quibus exemplis satis perspicuum fit, Livium eis vocabulis, quibus comparative utitur, comparativam particulam addidisse —, non ineptum mihi videtur legere pro *uos* particulam *velut.* nam genetivum *hospitum* hoc loco comparative positum esse, neminem fugiet, et quoniam *numero habere* significat *rechnen unter*, *zählen unter*, licere opinor verba „der die Gefangenen, ich möchte sagen, zu seinen Gastfreunden zählte" latine sic reddere: „qui *velut* hospitum numero captivos habuit."

Qua in re si Mich. Gitlbaueri sententiam, de qua supra iam dixi, sequor: compendia et notas sine dubio iam in scriptis maiorum litterarum usitatas fuisse, quorum ignari librarii persaepe textum perdiderint, haud male hoc loco suspicari mihi videor, particulam *velut*, nescio qua ratione, fortasse neglecta syllaba *ut*, abbreviate scriptam esse, et ex UE̅L extitisse UOS (*velut* etiam litteris minusc. semper fere *uel'* scribitur, a quo similiter *uos* haud multum differt); et si mihi licet, Gitlbaue-

rum respicere, in codice Vindobon. invenitur pariter *AP.* = *aput*; cf. pag. 61.

Quae cum ita sint, scribendum esse censeo:

„*Pyrrho videlicet, qui* v e l u t *hospitum numero captivos habuit?*"

XXIII, 5, 5.

In oratione Varronis consulis ad legatos Campanorum habita haec tradita sunt codice Puteano:

„*Quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut* q u i a *aliquid habeamus, id* q u o d e s t, *expleri ab sociis velimus? pedites vobis imperemus, tamquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tamquam ea tantum desit? nihil ne quod suppleremus quidem nobis reliquit fortuna.*"

Edit. Basil. 1539: „ut *quasi* aliquid habeamus, id *quod deest,*" quae lectio etiam Gronovi est.

Lectio: *quod deest* recte emendata ex codicum scriptura *quod est* littera *d* semel scripta mihi videtur.

Hertzius et Weissenbornius servarunt: „ut *quia* aliquid habeamus" . . . et Madvigius existimans, particulam *quia* littera *a* sequentis vocabuli bis posita exstitisse, sic emendavit: „*ut, qui* aliquid habeamus" . . . cum recte adderet in editione, causalem significationem pravam esse.

Sed offendo equidem non solum vocabulo *quia*, totam sententiam — *aliquid habeamus* — sequentibus convenire nego. nam interroganti „quid enim nobis ad Cannas relictum est?" ipse sibi Varro respondet § 6: „nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna; legiones equitatus, arma signa, equi virique, pecunia commeatus aut in acie aut binis postero die amissis castris perierunt" . . . qua de re nego, oratorem dicere posse, Romanos *aliquid* habere. et si forte dixeris cum Weissenbornio, verba: „quia aliquid habeamus" ex Campanorum obliqua oratione arrepta cum ludibrio a consule reddita esse, ita ut ironia per totam sententiam ducta efficeret id, quod equidem desidero, opponendum est, consulem Romanum, si

totam rem, totamque orationem eius considero, vix lepore et ironia in tanta miseria usum esse, sed maxima, ut par erat, severitate ad superbos et infideles Campanos dixisse. Varro enim animos eorum movere conatur, qua in re vix dente maledico usus esse mihi videtur. eodem modo ne relativum quidem: „*qui* aliquid habeamus,“ quo ipso, nisi forte iterum haec verba ironice dicta esse censes, non apparet, *nihil* Romanis reliquisse fortunam, recte se habere potest, immo vero quae in sequentibus comparatio est, eam hic quoque desideramus, quare magis mihi probatur lectio: „ut, *quasi* aliquid habeamus.“

At dicas forsitan, nulla fere mutatione opus esse, dummodo recte interpungamus: „quid enim .... nobis relictum est? *ut qui* aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab sociis velimus“ = sollten wir, als hätten wir etwas, d. h. als wären wir Leute, die etwas haben, das Fehlende von den Bundesgenossen ergänzt wünschen, qua nulla fere mutatione omnia aptissime procedant consulque ad interrogationem suam: „quid . . . nobis relectum est“ ipse respondeat: „nihil“.

Sed primum neminem puto fugere, quanta duritia eiusmodi lectioni inhaereat; deinde nego fieri posse, ut Varro tam abrupte finem faciat interrogationi. immo oportet dicat: „denn was ist uns geblieben, dass wir supplementa (denn diese hatten die socii zu stellen) von euch verlangen, nam ne habemus quidem, quod supplementa a vobis petamus, sed § 7: „paene bellum pro nobis suscipiatis.“

Sed si periodum: „ut, quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab sociis velimus“ cum sequentibus confero „pedites vobis imperemus, tamquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tamquam ea tantum desit?“ dubitari non potest, quin illa plura continens ampliorque duabus sequentibus ad omnes res, quibus si egent, Romani juvari solent a sociis, hae autem ad singulas ut exempli causa prolatas res pertineant, quod inde quoque cognoscere mihi videor, quod orator in priore sententia communiter dicens substantivo *sociis*, in altera

ad ipsos Campanos versus pronomine *vobis* utitur. quae cum ita sint, Livium censeo Varronis orationem etiam conformasse ita, ut illa amplitudo vel sensus ille communis quam maxime eluceat, id est scripsisse eum „*ut, quasi qui* aliquid habeamus, id quod deest expleri ab sociis velimus"... so dass wir gleichsam wie Leute, die etwas haben, nur das Fehlende von den Bundesgenossen ergänzt wissen wollen..; lectio: *quasi qui* optime cedit; cf. etiam Cic. Brut. XII, 48: „sed cum ex eo (Josocrates), *quasi qui* committeret contra legem... saepe ipse in iudicium vocaretur."

Cum textu tradito si, quae proposui, confero, particulam *quia* puto natam esse litterula *a* vocabuli *aliquid* falso iterata, qua re scribendum primum est *qui aliquid*; huic autem emendationi quia, ut supra exposui, sensus sententiae repugnare mihi videtur, suspicor particulam *quasi*, quam servavit cod. Spirensis, excidisse, quod facile fieri potuit, si ad easdem prope litterulas verborum „*quasi quialiquid*" animum advertas.

Ex his igitur causis locum sic emendo:

„*Quid enim nobis ad Cannas relictum est, u t, q u a s i q u i aliquid habeamus, i d q u o d d e e s t, expleri ab sociis velimus? pedites vobis imperemus, tamquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tamquam ea tantum desit? nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna.*"

XXIII, 9, 7.

In Pacuvi Calavi patris oratione filium caede Hannibalis tentanda dehortantis codex Put. habet:

„*Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus, tu sustinebis? i t a l i s auxilia desint, me ipsum ferire corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis sustinebis?*"

Edit. Basil 1539: „*et si alia* auxilia desint" (sine dubio ex coniectura profecta lectio quippe tenuior).

Drakenborchius: „quem horret populus, tu sustinebis?

ut alia auxilia desint," quam scripturam recentiores editores servaverunt.

Particula *ut* recte emendata esse mihi quoque videtur significatque *gesetzt dass*, sicut saepe similiter posita est. tota coniectura *ut alia* non nimis ea quidem discedit a scriptura tradita, sed tamen, ut etiam propius ad codicem accedamus, praeferendum erit: *ut ab alis auxilia desint.* nam ut omittam, dativum et ablativum plurales saepe sic conformatos in codicibus inveniri et Puteano quoque formam contractam *alis* traditam esse, ut XXX, 16, 1: „C. Laelio cum Syphace *alisque* captivis Romam misso" — cf. Neueus: „Formenlehre der lat. Sprache," vol. II, pag. 217 — non solum facile in similitudine syllabarum *ab* et *al* praeposito neglegi potuit, sed hac in emendatione etiam apertius puto duas personas sibi opponi: *alii* — *ego*. cf. Cic. pro Mil. 36, 100: „nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum *a me* amoris, nullum studi, nullum pietatis officium defuit;" qua re Livium verisimile est scripsisse:

„*Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus, tu sustinebis? ut ab aliis auxilia desint, me ipsum ferire corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis sustinebis?*"

XXX, 18, 7.

Cod. Puteanus praebet:

„*Et ut rem permixtus uti cuspide uti comminus cladio uti posset roboris maioris Romanus eques erat, ita in ablatum paventibus procul equis melius ex intervallo Numidae iaculabantur.*" (Scriptura cladio pro gladio nihil ad rem pertinet.)

Edit. Basil 1539: „*et ut permixtus, ubi* cuspide *uti et* comminus gladio posset ...., quae lectio etiam Drakenborchi est.

Gronovius Jac. suspicatur: „*et ut intermixtus, ubi* cuspide *uti et* comminus gladio posset" dicens: „haec Livi vox

est, et latere hic videtur;" de exemplis, quae protulit, infra agetur.

Hunc locum plane corruptum sanare conabor arripiens primum verba „*uti cuspide uti comminus gladio uti* posset," in quibus constituendis recentiores magno opere inter se discrepant.

Hertzius: „*[ubi] uti* cuspide, *uti* comminus gladio posset."

Madvigius: „*ubi uti* cuspide *uti* c. gl. p."

Weissenbornius i. edit. Weidm.: *ubi* cuspide *uti et* comminus gladio posset," quae et Luchsi lectio est.

i. edit. Teubn. legit is cum

Alschefskio: „*et ut, ubi in rem permissus uti* cuspide *uti* comminus gladio posset;" quarum omnium scripturarum ne unam quidem mihi probari fateor. — quid igitur, roges?

Me quidem repetita vocabula *uti* — *uti* admonent, Livium hoc loco fecisse anaphoram, qua de re quaestio est, cum vocabulum *uti* per sese aut verbum aut particula esse possit, utra voce usus scriptor illud assecutus sit.

Voces, quibus talis figura efficitur, dico equidem, aliquantum ponderis habere sententiamque magis perspicuam reddere solere. nostrum igitur locum si perscrutor, Livius imaginem proeli descripturus neque finalem particulam *uti*, neque verbum *uti* sumpsisse mihi videtur. quidni sumpserit, roges? protasis comparativa (*ut* — ita) coniecturae de particula *uti* bis repetita maxime repugnat, qui in tali re optimi scriptores *quemadmodum* — *ita* praeferunt; verbo *uti* autem obstat, quod velut fortuitum cum quolibet alio eius generis commutandum nullius momenti est ad efferendam sententiam.

Quae cum ita sint, auctorem non puto scripsisse duo *uti*, sed duo *ubi*, quibus particulis modus statusque proeli repraesentatur. accedit quod Livius periodos duobus relativis seu pronominibus seu particulis libenter construit, ut: II, 20, 13: — „dictator — vovisse fertur ac pronuntiasse militi praemia, *qui* primus, *qui* secundus castra hostium intrasset;" II, 45, 3: — „lacessere ad pugnam primo obequitando ... provocandoque, postremo, ut nihil movebant, *qua* consules ipsos, *qua* exercitum

increpando." II, 45, 16: „omnium illo die, *qua* plebis, *qua* patrum, eximia virtus fiat." II, 45, 4: „ad haec in novitatem generis originisque *qua* falsa, *qua* vera iacere." XXIX, 5, 4: „*quantis* viribus, *quanto* exercitu id bellum geratur, in eorum potestate esse." XXXVIIII, 27, 9: „optimum quemque, *quibus* libertatis, *quibus* legum cura sit;" II, 3, 3: „regem hominem esse, a quo impetres, *ubi* ius, *ubi* iniuria opus sit, esse gratiae locum." IV, 42, 5: „*ubi* illi patricii spiritus, *ubi* subnixus et fidens innocentiae animus esset;" IV, 40, 1: „*ubi* C. Sempronius, *ubi* legiones nostrae sint;" XXXIX, 43, 4: „*ubi* libare diis dapes, *ubi* bene precari mos esset" etc. praeterea lectio: „*ubi* cuspide *uti et* comminus gladio posset" ne ea quidem causa recte se habere potest, quod usui Liviano magis convenire mihi videtur, verbum *uti* post *gladio* poni, ita ut certe legas: „*ubi* cuspide et omminus gladio *uti* posset" — qua de re illam scripturam ex coniectura profectam esse existimo.

Cum deinde probabile sit, litteris *b* et *t* mutatis scripturam esse corruptam, ita ut ex verbis „*ubi* cuspide *ubi* comminus gladio *uti* posset" exsisteret „*uti* cuspide *uti* comminus gladio *uti* posset" indeque unum *uti* excideret, prorsus non dubito ita emendare locum: „*ubi* cuspide, *ubi* comminus gladio *uti* posset"...

Altero loco corrupto Gronovius Jac., quem secutus est Hertzius scripsit: „*et ut intermixtus.*"

Alschefskius et cum eo Weissenbornius in edit. Teubn. legunt: „*et ut, ubi in rem permissus.*"

Weissenbornius in edit. Weidm.: „*et ut [rem] permixtus.*"

Madvigius in edit.: „*et ut inter permixtos;*" in emend. Liv. pag. 431: „*et ut in permixtis.*"

Variae profecto coniecturae, sed nescio an nulla locus sit sanatus. conabor igitur examinare orationem Livianam, quam maxime secutus meliorem lectionem eruisse mihi videor.

Primum ex permultis exemplis intellexi ea, quae Madvigius in emend. Liv. hoc loco de participio *permixtus* adnotat: „participium nominativo casu positum necessario significationem eorum, quibus eques permisceatur, postulare", recte

se habere; quod videndum est ex permultis exemplis ut XXI, 14, 1: „permixtum *senatui* populi concilium," XXVI, 44, 4: „permixti *fugientibus* inrupturi;" XXXII, 18, 8: „*cum refugientibus* in portam permixti; XXXVIII, 22: „clamor permixtus mulierum atque puerorum *ploratibus*." et addo equidem, idem esse de obliquis casibus, ut intellegi potest ex XXXI, 24, 16: „ne in permixtos *hostibus* suos coicerent (tela)" similiter etiam Sall. Jug. 59, 3: „neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites *cum equitibus* permixti magnam cladem in congressu facerent." — et si ii, quibus permiscetur aliquis, non obliquo casu seu dativo seu ablativo seu praepositione exprimuntur, tamen dictum est, ex quibus partibus multitudo permixta sit, id est, varias res permixtas aut eodem casu positas coordinatas esse, aut vocabulo collectivo aut substantivo plurali numero posito contineri, ita ut nunquam dubium videatur, qui quibus sint permixti; sic XXIV, 27, 2: „*non* populari *modo*, *sed* militari *quoque* turba magna ex parte etiam perfugis permixtis;" XXV, 14, 10: „*omnibus* intra vallum permixtis (*omnibus* significat milites cuiusque generis variaque arma, unde perspicuum sit, varias partes permixtas esse); XXX, 24, 11: „permixto paene *senatus populique* concilio ...;" XXV, 15, 15; „instare *Poenum* permixtosque *et hostes* urbem invasuros;" XXX, 34, 7: „et *prope duo* iam permixta proelia erant." XXXVI, 44: „et ium classes quoque undique concurrerunt, et passim permixtis *navibus* pugnabatur;" quod idem et apud alios scriptores esse videmus; sic Caes. B. G. 7, 62: „*cum suis fugientibus* permixti — ab equitatu sunt interfecti;" Cic. Or. 57, 195: „ego autem sentio *omnes* in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes." Cic. pro Planc. 41, 10: „*omniaque* potius permiscuerant, quam ..."

Similiter res se habet etiam de simplici verbo *miscere* aliisque compositis, nisi forte participium *mixtus* significat unrein, unächt, ut *mixtus sanguis* ...; sic IV, 33, 8: „pulvis elatus mixtusque *fumo*;" IV, 34, 1: „Hi ... mixti *hostibus*;" XXII, 5, 4: „clamores mixti strepentium parentium*que*;" XXIII,

4, 7: „conubium vetustum *multas* familias clarasque ac potentes Romanis miscuerat." XXIV, 31, 3: „licentia ... miscendi eos *agmini;*" XXIX, 28, 3: „neque enim hominum modo *turba*, mulierum puerorumque agminibus immixta:" XXX, 33, 12: „pleraque per interpretes immistos *alienigenis;*" XXX, 35, 7: „*homines* mixti ex colluvione omnium gentium;" XXXVII, 43, 9: „ceterum fugientibus maior pestis intermixtis *quadrigis elephantisque* et *camelis* erat;" XXXXIV, 10: „mixti pedites equites*que;*" XXXXIV, 29: „permixti *Romanique* et *Macedones* et Eumenis *navales socii.*"

Cum igitur in omnibus his exemplis, quibus multa alia addere possum, perspicue quae partes inter se misceantur, cognosco, in lectione: „et ut *permixtus* — eques" aut „et ut *intermixtus* — eques" idque in initio novae sententia, in cuius protasi nemo adest, quocum eques se permiscuerit, cogitari nihil aliud potest, nisi equitem cum equite id est secum esse permixtum, quod quam ineptum sit, vix quemquam fugere mihi persuasum est.

Eodem modo illa quoque exempla, quae Gronovius Jac. profert ad defendendam suam emendationem: „*et ut intermixtus*" vana esse censeo: IV, 56, 3: „turbam indignorum candidatorum *intermiscendo* dignis ... X, 20, 8: „gnarosque Oscae linguae explicatum quid agatur mittit; *intermixti* hostibus" ... (paulo infra § 12: *intermixti* agmini); XXXVII, 38, 3: „et Dahae quidam aliarumque gentium sagittarii equites *intermixti.*"

Quod si iam satis perspicuum esse existimo, verbum *miscere* aut compositum per se ipsum hoc loco non convenire propter structuram, qua Livius in eiusmodi vocabulis utitur, hoc quoque respiciendum mihi videtur, num verbum *miscere* ad equitatum omnino adhiberi possit ita, ut eques pugnans cum hostibus misceatur. qua quidem in re non infitior, Livium, ubicunque de equestribus proeliis narrat, vocabulo *mittere* et compositis eius aut aliquo verbo, quo motus significatur usum esse, ut *invehi*, *erumpere*, *perrumpere*, *inferri*. quod videndum

est ex permultis exemplis, quae contuli de omnibus decadibus, quorum pauca proferam: II, 31, 2: „equitatu *immisso* mediam turbaverat hostium aciem;“ II, 53, 3: „eques ab consule *immissus* Tuscos fundit fugatque;“ III, 61, 8: „hostem ... *immissis* equis exigite e campo.“ III, 61, 9: „concitant equos *permittuntque* in hostem;“ III, 70, 9: „qua *permissus* equitatus turbaverat ordines;“ XXII, 6, 10: ... „ne in conspectos procul *immitteretur* eques;“ XXIV, 15: „eques in hostem *emissus*;“ XXII, 24, 8: „equitatus cum levi armatura *emissus* in frumentatores late caedem fugamque hostium palatorum fecit;“ XXIX, 2, 12 et 13: „vix haec dicta dederat, cum Romani equites in medios *invecti* hostes simul pedestris acies turbarunt, simul equitibus Hispanorum viam *immittendi* equos clauserunt;“ XXXV, 5, 8: „ad perturbandos ordines ... C. Livium ... quam concitatissimos equos *immittere* iubet;“ XXXV, 5, 12: „ad persequendos eos legionarii equites *immissi*“ ctr.

De lectione „in rem permissus“ ut iam nunc pauca dicam, censeo eam parum convenire; apud Livium enim vox *res*, ubi de bellicis rebus agitur, potissimum in his iuncturis apparet ut II, 47, 4: „*res inclinata*;“ aut saepius etiam „*res labitur*;“ et II, 45, 1: „ne *rem committerent* eo, ubi duae simul acies timendae essent;“ similiter alio loco sed tamen hoc uno: „*rem* in casum ancipitis pugnae *committere*;“ II, 45, 10: „*rem* ad ultimum seditionis *erupturam* finemque venisse Romano imperio;“ II, 48, 5: „*res* proxime in formam latrocini *venerat*;“ II, 49, 9: „in populationibus *res fuit*,“ ctr., deinde scriptura „*et ut, ubi in rem permissus*“ ob id ipsum refutanda esse mihi videtur, quod, cum in apodosi vocabulum gravissimum *in ablatum* in initio sententiae sit collocatum, ne in protasi quidem censeo licere summum momentum seu *permixtus* seu *permissus* principe loco removeri; immo dico, post eiusmodi demum vocabulum particulam *ubi* esse ponendam. haec igitur sunt, quae de voce *mittere* dicenda esse putabam.

De verbo *miscere* et compositis haec sola inveni: XXXIX,

31, 8: „sed longe acrius Calpurniani equites pugnabant et praetor ante alios: nam et primus hostem percussit, et ita *se immiscuit* mediis“ ... et infra § 11: „fugientes in castra equites persecuti sunt *et permixti turbae* hostium intra vallum penetraverunt,“ quae tamen exempla ostendunt, participium *permixtus* coniungi licere cum substantivo *eques.*

Quodsi, ut comprehendam, quae adhuc exposui, non conicere vis *permissus* dicens cum Madvigio, accusativum *rem* ortum esse ex praepositione *per*, neque in animo habes Weissenbornio adsentire, qui suspicatur, es könnte nach *rem* auch ein Particip (gerens?) ausgefallen sein, ita ut concurrentibus duobus participiis haud eleganter legatur: „et ut *rem gerens permixtus,*“ videndum nobis est, quid de participio *permixtus* faciamus.

Hoc equidem verbum teneo, primum quod Livius isto loco statum proeli duransque certamen descripturus est, vocabulo *permissus* autem praecipue primus impetus effertur neque significatur, equites cum hostibus signis collatis longius pugnare, ita ut modus proeli faciesque, ut ita dicam, pugnae exprimi possit; etenim omnia exempla, quae supra posui, ostendunt, equites, ubi *immissi* aut *permissi* aut *emissi* dicuntur, celeriter rem gerere subitoque rem actam esse: „turbaverat aciem;“ „Tuscos fundit;“ „exigite e campo.“

Dicas forsitan esse in participio *permissus* duo momenta, unum, ubi eques nondum satis progressus cuspide se tutatur, alterum, ubi propius accedens comminus gladio hostes aggreditur. at illud prius momentum supervacaneum hoc loco esse apparet, quod iam supra § 5 equites dicuntur *emissi* esse: „ad equites pergit iussosque escendere in equos repente in hostem *emittit;*“ et quia repetito vocabulo *mittere* res quasi insistit, nec ad pugnam caedemque procedit, idque deest, quod Germani dicunt Kampfgewühl, quod hic desideramus, sicut datum est XXXIX, 31, 9: „se immiscuit mediis, *ut vix utrius partis esset* nosci posset.“ duobus enim verbis *emittere* et *permittere,* nisi quod hoc fortasse maiorem impetum significat,

similiter utitur Livius ut XXIX, 2, 89: „ceterum Lentulus ei parti usum equitis fore ratus, quae prior in dehiscentem intervallis hostium aciem equites *emisisset*, Ser. Cornelio tribuno militum imperat; equites per patentes in hostium acie vias *permittere* equos iubeat;“ II, 43, 7: „ut solo equitatu *emisso* exercitum hostium funderet, insequi fusos pedes noluit.“

Sed verum quod vocabulum, inquies, accedere ad participium *permixtus* oportet, quia non licet absolute illo uti?

Mihi quidem accusativus *rem* elidendus et ablativus ille, quo Livius in describendis proeliis libenter utitur ponendus esse videtur: *acie*. vox *acies* enim apud Livium, ut apud alios quoque, persaepe pro substantivo *proelium* invenitur ut XXXV, 3: „in *aciem* exibant;“ XXXVI, 39, 7: „devictis *acie* Bois;“ XXXVI, 40, 3: „quos *acie* vicerit;“ XXXXII, 61: „si *acie* decernere volent;“ XXXVII, 37, 8: „in *aciem* descendit;“ XXXX, 46, 10: „medio foro *acie* hostes concurrerant;“ II, 44, 11: „in ipsa *acie*, in ipso certamine;“ „imperatorem in *acie* relictum;“ IV, 30, 14: „nuper *acie* dimicatum;“ VIII, 30, 4: „*acie* cum Samnitibus conflixit“ et passim similiter.

Praeterea verbum *miscere* quoque et composita eius ad bellicas res persaepe adhibentur ut XXXXI, 19: „*miscente* Perseo — *certamina;*“ XXX, 34, 9: „ne pavido milite ... integram *aciem miscerent;*“ XXX, 34, 7: „duo iam *permixta proelia* erant;“ V, 8, 6: „*bello* se iam *immiscuerant;*“ VIII, 32, 11: „ad triarios *tumultum* iam in contionem *miscentes* sese recepit.“ cf. etiam Tac. hist. I, 2: „trina *bella* civilia, plura externa ac plerumque *permixta.*“

Cum deinde Latini dicere soleant: „*consiliis permixtus*“ similiter atque *implicitus*, ut Tac. ann. III, 38, 51 = *in die Pläne hineingezogen, verflochten*, et inveniatur etiam „morbo *permixtus*“ similiter atque *implicitus* (cf. etiam Cic. Or. 56, 187: „id non litterarum accidere natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate, quibus *implicata* atque *permixta* oratio“ ... et Sall. Jug. 59, 3: „*implicare* ac perturbare *aciem*“) persaepe etiam dicatur: *bello implicitus*, hoc est:

in bellum mixtus vel *bello permixtus* —, usui Latino censeo non repugnare, verba *in den Kampf verwickelt* Latine sic reddi: *acie permixtus*, quae scriptura insuper facile ad traditas litteras referenda est. ut enim praeteream, unc. litterulis *A et R*, C et E, E et M similibus perfacile posse factum esse, ut ex voce *ACIE* male scripta vocabulum *REM* proficisceretur, probabile mihi videtur in archetypo fuisse formam ACIEM; littera M enim, quod Madvigius in emend. Liv. pag. 8 esqu. illustrissime demonstravit, magna licentia in fine vocum idque etiam in antiquissimis codicibus, maxime in fine versuum, et in codicum Livianorum archetypo posita est; et ex *ACIEM* facile REM proficisci potuisse eo magis credas, quod in codice Puteano, quod idem Madvigius ostendit in emend. Liv. pag. 243, una syllaba (hoc loco fortasse *ci)* saepe omissa est," — qua ratione etiam Gitlbauerus in codice Vindobonensi felicissime usus est.

De litterula M, quae saepe in fine vocum posita est, cf. XXII, 61, 2: ... „praeter exemplum civitatis minime in captivos iam inde antiquitus indulgentis, pecuniae quoque summa homines movit, *quam* (cod. Put.) nec aerarium exhaurire, magna iam summa erogata in servos ad militiam emendos armandosque, nec Hannibalem maxime huiusce rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant," ubi codex Mediceus rectum habere videtur *quia* et editio Frobeniana, scilicet si Woelfflinum sequaris.

Denique sic demum, quia in lectione *acie permixtus* quasi locus additus est, duae particulae *ubi* — *ubi* praeclare cedunt, statumque proeli, ubi manus conseruntur, descriptum esse existimo, sicuti exempli causa XXXIX, 43, 4 de epulo dictum est: „*inter pocula atque epulas*, *ubi* libare diis dapes, *ubi* bene precari mos esset — mactatam humanam victimam esse et cruore mensam respersam;" et XXXV, 19, 4: „*ubi cunque* vires, *ubi* arma esse sciam, *huc* veniam."

Neque praetermittendum est, sic demum etiam duo vocabula gravissima optime sibi respondere: *acie permixtus* in der Schlacht — *ablatus* auf der Flucht.

Nuperrime Leous cf. Rheinisches Museum für Philologie vol. 35, pars 2 exposuit, scribendum esse: „*et ut semper eminus*, *ut* (oder *uti)* cuspide *uti et* comminus, *[ut]* gladio posset, roboris maioris Romanus eques erat."

Ut taceam de verborum interpretatione, quam ille profert, neminem fugere puto, textu sic constituto sententiam admodum artificiosam et prope obscuram fieri; et cum in coniectura, quam equidem explicavi, duo proeli momenta exstent, unde, quibus armis eques utatur, pendere mihi videtur, unum, ubi nondum satis progressus cuspide pugnat, alterum, ubi propius accedens id est comminus gladio potest hostes aggredi —, sine dubio legendum erit:

> „*Et ut acie permixtus, ubi cuspide, ubi comminus gladio uti posset, roboris maioris Romanus eques erat, ita in ablatum paventibus procul equis molius ex intervallo Numidae iaculabantur.*"

XXX, 29, 4.

Cod. Puteanus praebet:

> „*Hannibal nihil quidem eorum, quae nuntiabantur — nam et Masinissam cum sex millibus peditum, quattuor equitum venisse eo ipso forte die adferebant — laeto animo audit, maxime si hostis fiduciaque non de nihilo profecto concepta percussus est.*"

Duplici ratione hoc enuntiatum laborat, vocabulo *si* et verbis *fiduciaque.*

Cod. Bamb.: ... „audit, *maxime* si hostis *fiduciaquae* non de nihilo profecto concepta percussus est."

Edit. Basil. 1539: „*maxime hostis fiducia, ... quae* concepta *est* percussus."

J. Fr. Gronovius coniecit: „concepta *esset*" — vocabulum *est* a plerisque scriptis veteribus afuisse et in aliis post sequens participium positum esse ex Drakenborchio videndum est.

De scriptura *si* Madvigius in emend. Liv. pag. 435 resti-

tuere sibi visus est textum legendo: „*ceterum maxime hostis,*“ quae quidem mutatio non solum permagna est, sed etiam vocabulum *ceterum* hoc loco aptum esse nego. nam primum adversativam relationem sententiarum: „*nihil quidem.... laeto animo audit*, — *maxime hostis fiducia..... percususs est*“ nimiam hic esse censeo, quam ut frigida vox *ceterum* sufficiat ad eam efferendam. Livius enim utitur is quidem persaepe particula *ceterum* adversativo loco, ut XXI, 12, 6: „erat autem tum miles Hannibalis, *ceterum* publice Saguntinis amicus . . .“ XXI, 6, 2: „cum Saguntinis bellum nondum erat, *ceterum* iam certamina... serebantur..“ —, sed Livianam orationem huius particulae causa accurate perscrutatus inveni, auctorem post praecedens vocabulum *quidem*, si id non ad confirmandam coniunctionem *et, ac, atque* adhibetur, sed si concessivum obtinet locum, particula *ceterum* interdum uti, sed plerumque vocem *sed* aut *tamen* scripsisse. si vero ad vocabulum *quidem* negatio accedit, nullum habeo exemplum, unde Livium in apodosi particulam *ceterum* posuisse appareat.

His de tribus momentis satis esse mihi videtur, quae tertio loco dixi, ea exemplis demonstrare; sic XXIV, 26, 8: „periculi *quidem nihil* se timere, invisam *tamen* stirpem regiam esse;“ XXV, 35, 3: „ad Romanos *nondum quidem* fama . . . pervenerat, *sed* . . .;“ XXXV, 14, 4: „actum *quidem nihil* est, secutum *tamen* sua sponte est;“ XXXIII, 40, 4: „*nec* ex Philippi *quidem* adfersa fortuna spolia — se petisse —, *sed*...;“ XXXVIII, 18: „id *haud* magnum *quidem* oppidum est, *sed*...“

Denique Livius vocabulum *ceterum* adhibet etiam ad interruptam orationem denuo excipiendam ut XXXVIII, 55, 4: „ad hunc praetorem — *ceterum* ad hunc nimis aequum aut iniquum praetorem . . .“ quae tamen sententia, quoniam adversativa relatio deest, cum nostra non est comparanda. nec satis! metu Hannibalis duabus causis, quarum maior posterior est, moto duas sententias existimo breviter firmaque particula coniungendas esse, ut celeriter a re minore ad maiorem perveniatur, quod non fit languida particula *ceterum*. ex eadem

causa ne deteriorum quidem codicum lectio *maxime scilicet* sine dubio ex coniectura orta, quam Hertzius quoque recepit, mihi probatur, quoniam adversativa relatio aufertur. iam Drakenborchius credidit „*τὸ si* (maxime si) natum esse ex voce *scilicet* duabus litteris *sc.* conscripta: ipsum autem *scilicet* referendum est inter glossas scribarum."

Quae cum ita sint, dixerit quispiam, particulam *si*, quam Weissenbornius adhuc recepit, Luchsius autem praeteriit, sine dubio eiciendam et fortasse legendum esse: *sed maxime*, ut Alschefskius scripsit; probabile enim esse, vocabulum *sed* aut confusum cum secunda syllaba verbi *audit* excidisse, aut falso loco positum causam fuisse, ut ab interpolatore *maxime si* coniceretur.

Sed quamquam tali coniectura et sententia bene procedit et traditus textus paululum tantum mutatur, tamen equidem praefero: *maxime tamen.* haec duo verba enim, sive forte sive consilio coniuncta sunt, saepe apud Livium in sententiis nostro loco similibus inveniuntur, ubi scilicet non nego, si alia particula scripta esset, eam optime cessuram esse. V, 6, 9: „quae in omni quidem genere militiae, *maxime tamen* in obsidendis urbibus necessaria est...;" V, 38, 9: „*maxima tamen* pars incolumis Veios perfugit;" XXIII, 2, 2: „inde Capuam flectit iter luxuriantem longa felicitate atque indulgentia fortunae, *maxime tamen* inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis;" XXIX, 34, 5: „nec aliarum gentium aspernatus, *maxime tamen* Numidas — id longe primum equitum in Africa est genus — conducit;" XXXVII, 30, 2: „robore navium et virtute... Romani longe (Rhodiis) praestabant —; *maximo tamen* hostibus terrori fuere, quae ignes prae se portabant."

Et omnino permultis exemplis cognovisse mihi videor, Livium particulam *tamen*, si non semper, tamen praecipue post adiectiva et adverbia, ut efferet ea, collocasse, quod tibi satis perspicuum fore existimo, si paucos libros examinaveris. exempli causa liber XXXVII prope deinceps praebet: 5, 1:

constantius tamen; 6, 1: *multis tamen;* 16, 12: *postremo tamen;* 30, 3: *maximo tamen;* 37, 9: *motus tamen;* 30, 6: *plurimum tamen;* 51, 10: *nihil tamen;* 54, 7: *utcunque tamen;* 55, 5: *summum tamen;* XXXVIII, 34, 9: *nulla tamen res;* 53, 9: *bellicis tamen;* 53, 11: *Punici tamen;* XXXVIIII, 53, 11: *oboedienter tamen;* et similiter per totum auctorem. — praeterea vox *tamen* iam litt. unc. abbreviate T̄M et minusc. tñ scripta facile intercidere poterat, praesertim cum consideres, sequentem quoque syllabam *si* curruptam esse, ita ut librarius ex scriptura T̄MSI etiam consulto particulam omittere posset.

De altero loco corrupto *fiduciaque* Madvigius et Hertzius censentes substantivum sicut *audacia* ommissum esse legunt: „hostis *fiducia audaciaque.*"

Weissenbornius, qui priore tempore eandem sententiam obtinuit, postea autem suspicatus est in syllaba *que* pronomen relativum inesse, novissimo tempore in edit. Weidm. mutata rursus sententia scripsit: „*fiducia audaciaque*" nixus exemplo XXV, 37, 12: „mirabundi, unde tanta *audacia*, tanta *fiducia* sui victis . . ." Luchsius quoque legit: „*fiducia (audacia) que.*"

Sed hac de re quaeritur, num scribi liceat: *fiducia audaciaque — concepta;* quod equidem probare non possum deficiente exemplo, unde perspicuum fiat, Romanos scriptores dixisse: *audaciam concipere;* et dubito etiam, num commutatis verborum locis: *audacia fiduciaque*, quoniam duo substantiva quasi unum corpus efficiant, res illa insolita tollatur. qua de causa videndum est, quod aliud substantivum cum vocabulo *fiducia* coniungi possit. Desideres forsitan vocem, quae alterum substantivum auget, et quae duo Germanice sic fere redduntur: *zuversichtliches Vertrauen*, quod esse censeas, si scripseris *spe fiduciaque.* haec enim vocabula, inquies, alias quoque coniuncta sunt ut XXX, 28, 9: „quibus erat ingens in Scipione *fiducia* et victoriae *spes*;" Cornel. Nep. Hannib. 8, 1: „at Hannibal . . . Africam accessit in finibus Cyrenaerum, si forte Carthaginienses ad bellum Antiochi *spe*

fiduciaque possent induci;" XXXIV, 12, 4: „ipsa *fiducia* et *sperando* atque audendo servatum."

Praeterea hunc locum conferendum esse putes cum iis, quae XXIX, 22 scripta sunt, ubi similiter ac nostro loco dictum est, praetorem Romanum legatosque a Scipione hospitio comiter acceptos, ut castra et exercitum navesque viserent, circumductos esse. § 3: „tum circa armamentaria et horrea aliumque belli apparatum visendum praetor legatique ducti; tantaque admiratio singularum universarumque rerum incussa, ut satis crederent aut illo duce atque exercitu vinci Carthaginiensem populum aut alio nullo posse, iuberentque — traicere, et *spei conceptae*, quo die illum omnes centuriae priorem consulem dixissent, primo quoque tempore compotem populum Romanum facere ....;" sicut igitur ibi dixeris praetorem et legatos ex toto apparatu spem boni belli eventus concepisse, ita nostro loco iure suspiceris, Hannibalis legatos sibi dixisse, Scipionis apparatum eum esse, quo *spem fiduciamque* haberet, se hostes superaturum esse, quos sine tali fiducia vix per castra circumduci passus esset.

Et ut hoc quoque afferam, Livium oratorio modo libenter verba magni ponderis circumscribere, plenoque ore, ut ita dicam, narrare solitum esse, probabile tibi sit, Livium scripsisse: „Hannibal nihil quidem eorum quae nuntiabantur — laeto animo audit, maxime tamen hostis *spe fiduciaque* — concepta percussus est."

At me non fugit, sententiam scilicet clariorem fore, si id quod speratur, non demum ex fiducia esset cogitandum, sed aperte se praeberet; qua re dixeris fortasse, rectum cognovisse Leoum conicientem: „maxime *securitate* hostis fiduciaque" cf. Rheinisches Museum für Philologie vol. 35, pars 2.

Concedo equidem, in vocabulo *si* reliquias alicuius vocis sitas esse, quae magnum pondus continet, et pro sua vi ante genetivum *hostis* collocanda est, sed tamen censeo coniectura *securitate* textum nimis mutari, nec probabile esse, tot litteras excidisse.

Similiter etiam Al. Harantius: *emendationes ad T. Livium; Revue de philologie, de littérature et de histoire anciennes, nouvelle série I,* pag. 256 coniecit: „maxime *vi* hostis fiduciaque“ — quae tamen vox neque ad belli apparatum potest referri, neque ad comitatem convenit, qua legati sunt excepti a Romanis.

Haec igitur consideranti et verba: *hostis fiducia* saepius legenti in mentem mihi venit, deesse aliquid, quo Romani *fiduciam* collocaverint, et mihi perspicuum erat, genetivum *sui* inserendum esse, similiter ac XXV, 37, 12: „tanta *fiducia sui* victis;“ hoc enim vocabulum, cui summa vis inest, primo loco, ante genetivum, ponendum videtur; deinde verba: *sui — fiducia* (Selbstvertrauen) etiam *securitatem*, quam Leous hoc loco requisivit, continent et clare intellegitur, unde syllaba *si* exstiterit. neque satis! hac enim coniectura non iam dubium est, quid de sequentibus faciamus, neque aliud quidquam restat quam suspicari, in syllaba *que* (fiduciaque), quae iam maioribus litt., ut Gitlbauerus demonstrat, persaepe cum *quae* mutatur, relativum *quae*, quod cod. Bamb. et Spir. praebent, inesse et verbum *esset* sive abbreviate scriptum et deperditum sive cum *est* aliquo modo confusum restituendum esse. tali modo quia, ut hoc quoque afferam, protasis et apodosis similiter, utraque cum sententia relativa constructae sunt, et bene procedit oratio, *Weidneri* autem coniectura: „*quippe — concepta,*“ cf. Philol. XXXVI, 209, nimis ab tradito *que* discrepat, verisimile mihi videtur in archetypo scriptum fuisse:

> „*Hannibal nihil quidem eorum quae nuntiabantur, — laeto animo audit; maxime tamen sui hostis fiducia, quae non de nihilo profecto concepta esset, percussus*) est.*“

*) Lectio *perculsus*, quod vocabulum et alias quoque cum *percussus* saepe mutatur — tanta est enim litterarum similitudo — hoc loco vim habet nimis magnam, quippe quod significat ita *percutere*, ut quasi prosternas et evertas. Livius enim hoc vocabulum *perculsus* ad aciem praecipue adhibet, quae impetum hostis non sustinet, vel perturbata in fugam

XXXIV, 2, 12.

In M. Catonis contra abrogationem legis Oppiae habita oratione codex Bambergensis una cum deperdito Moguntino exhibet:

„*Quid enim nunc aliud per vias et compita faciunt* (scil. feminae) *quam rogationem tribunorum plebi suadent, aliam legem abrogandam censent?*"

Edit. Basil. 1539: „*quid enim nunc aliud ..... faciunt, quam* *quod aliae* *rogationes tribunorum* *plebis* *suadent,* *aliae* *legem abrogandam censent?*" quae lectio sine dubio ex coniectura profecta est.

Vulgata: „quam rogationem tribunorum plebi suadent, *aliae* legem abrogandam censent?"

Vocabulo *aliam* prorsus inepto iure offenderunt interpretes; Madvigius et Hertzius id includunt; et Weissenbornius servavit is quidem *aliam,* sed recte id se habere negat. quas autem ipse profert coniecturas, neutram aptam esse fateor: 1) *antiqua* quod lex viginti annorum *antiqua* non est nominanda, ut apparet ex XXXIV, 6, 9: „quis igitur nescit, *novam* istam legem esse C. Fabio et T. Sempronio consulibus viginti ante annis latam." — 2) *ac iam*, quod nimium languere mihi videtur.

Hac de re consideranti primum mihi occurrit, scriptorem uni vitio feminarum: „quam rogationem tribunorum plebi suadent" alterum idque gravius addidisse, id est, eas non modo rogandas curare leges suadereque aut dissuadere eas, sed etiam

vertit. illa significatio etiam perspicua fit, si ad sequentem sententiam, quae cum nostro loco conferenda est, animum advertimus: XXX, 16, 2: „Carthaginienses non brevi solum, sed prope vano gaudio ab satis prospera in praesens oppugnatione classis *perfusi*, post famam capti Syphacis, in quo plus prope quam in Hasdrubale... spei reposuerunt, *perculsi*"..., nostro loco autem sicut antea dictum est, Hannibalem non laetum animum concepisse, ita vocabula *maxime tamen* me docent, id eo magis post alterum nuntium fuisse, id est Hannibalem *percussum* esse.

leges iam acceptas et comprobatas aggredi; Catonem igitur existimavi, cum voce *legem* adiectivum aut participium coniunxisse, quo primum temeritas audaciaque feminarum magis appareret, quod deinde vocabulis et *rogationem tribunorum* et *abrogandam* opponeretur. sed frustra eiusmodi verba quaesivi; nam dicere *iussa lex* vel *scita beschlossenes Gesetz* latinum non est, et *lata lex*, ut Weidnerus legit Philol. XXXV, 714, parum ponderis hoc loco habere mihi videtur; alia autem vocabula, quae Livius cum voce *lex* coniungere solet, ut *accepta, comprobata*, haud facile ad traditum *aliam* referenda sunt. qua in re mihi in mentem venit, Catonem verba „*rogationem plebi suadent*“ et „*legem abrogandam censent*“ inter se opponere eum quidem, minorique vitio gravius addere velle, sed censeo, summum momentum non in verbis *rogatio* et *lex*, quibus hoc loco una et eadem res, id est Oppia lex, significatur et quibus Cato oratorio modo eandum rem circumscribere mihi videtur, sed in verbis *plebi suadent* et *censent* contineri. mulieres enim in foro vias obsederunt virosque praetereuntes appellaverunt suadendo rogationem tribunorum, quod usque eo fecerunt, ut diceres, iam *censere* eas, id quod adhuc senatus comitiorumque erat, legem esse abrogandam.

Haec res coniecturae *ac iam* quoque maxime repugnare mihi videtur; etenim quia, ut dixi, gradatio non in verbis *lex abroganda* posita est, restat, ut *ac iam* referatur ad *censent*, quod equidem concedere non possum; neque enim re vera hoc mulieres faciunt, nondum res ad id pervenit, sed non multum abest, quin feminae more senatorio censeant, legem esse abrogandam, quod esse videretur, si viri voluntati matronarum cedentes non iam animos haberent, aliter ac mulieres vellent censendi; qua de re Cato, ut arrogantiam matronarum lepide perfricaret, vocabulum *censere* ironice ad eas adhibuisse mihi videtur idque cum ludibrio leniisse addendo: *ne dicam, um nicht zu sagen, sie geben ihr Votum dahin ab, dass das Gesetz abgeschafft werden solle.* sic enim verba *legem abrogandam censent* breviter et graviter, ut est senatorum formula,

dicta mihi videntur, neque ironia, qua mulieres orator castigat, maior esse potest, quam si illius ordinis auctoritas cum licentia feminarum confertur; cf. I, 32, 12: „quid censes? — parvo pioque duello *quaerendas (res) censeo;*“ V, 22, 3: „quid de praeda *faciendum censerent;* XXXVII, 55, 3: „et senatus *eam pacem servandam censuit.*“

Et summum momentum hoc loco in verbo *censent* positum esse eo magis existimo, quod etiam respondens vocabulum *plebi suadent* in conciliis contionibusque, quae comitiis antecedunt, usitatum est, ita ut tali modo summum et infimum concilium inter se opponantur.

Denique cum ex verbis *nedicam* nemo dubitet, quin perfacile *aliam* exstiterit, et alias quoque Livius hac oratione utatur, uti XXXIX, 28, 10: „pro hoc studio meo erga vos, *ne dicam* merito .....“ textum ita constituo: *„quid enim nunc aliud per vias et compita faciunt, quam rogationem tribunorum plebi suadent*, *ne dicam legem abrogandam censent?*“

Supra § 2 cod. Bamb. habet: *„Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri hic quoque in foro obteritur et calcatur et quia singulas non potuimus, universas horremus.*

Deteriores codices habent post *potuimus* partim *restituere* partim *restringere*, quae verba sine dubio ab interpolatoribus inserta sunt.

Edit. Basil. 1539: *„sustinere non potuimus,*“ uti etiam Weissenbornius et Hertzius legunt.

Sed censeo equidem neque *sustinere* neque *potuimus* hoc loco convenire, illud, quod, nisi forte significat *aufrecht halten, stützen* ut II, 47, 4: *„rem inclinatam sustinere;*“ V, 39, 2: *miraculum eos sustinuit;*“ — referendum est ad eum, qui patiens vel onus aliquod vel impetum seu rerum seu hominum perfert ut II, 10, 7: *„primum periculi procellam — sustinuit;*“ II, 10, 10: *„pavore subito impetum sustinuit;*“ II, 47, 5: *„inruptionem sustinere non potuerant;*“ XXXIV, 39: *„non ultra vis eorum atque impetus sustineri poterant;*“

XXXVII, 38, 7: „*proelium* *sustinuerunt;*“ XXXVII, 39, 13: „*multitudinem elephantorum* *sustinere*“ — XXXVIII, 29, 9: „*obsidionem* *sustinuit;*“ XXXXIV, 6: „*si primum* *speciem* — *terroris* *sustinuisset* —, hoc loco autem id agitur, viros tenendas feminas suo tempore non curavisse; et verbo *potuimus* repugnat, quod ad sensum non accommodatum esse mihi videtur suspicanti, Catonem non queri, viros non potuisse tenere mulieres, quod vix credibile est, sed neglexisse uti apparet ex § 1: „si in sua quisque nostrum matrefamiliae, quirites, ius et maiestatem viri retinere *instituisset*, minus cum universis feminis negoti haberemus.“ et inde scriptor, ut meis verbis utar, sic pergere mihi videtur: *quia eas non retinuimus, non solum domi victa libertas nostra est impotentia muliebri, sed iam hic quoque in foro obteritur et calcatur*, *et cum suam quisque feminam facile* *continere* *potuisset*, *res nunc ad id pervenit*, *ut universas*, *quippe minus facile superandas horreamus.* etiam vocabulum *horremus* tum demum convenire puto, si antea dictum est, viros non fecisse, quod facere potuerunt. similiter Madvigius in emend. Liv. pag. 494: „nec aptum id verbum *(sustinere)* est aut ipsum *potuimus*, quoniam cum reprehensione notanda est causa mali, non factum esse id, quod fieri debuerit. (si *sustinere* non potuerant, nulla erat culpa).“

Egregie ostendit idem in emend. Liv. pag. 494, non excidisse vocabulum, sed *potuimus* esse corruptum. quam autem profert emendationem „*non domuimus*,“ eam falsam esse censeo. *domari* enim et *perdomari* apud Livium hostes seu provinciae hostiles seu gentes feroces, et beluae animaliaque praeter hominem dicuntur; sed tamen *ingenia* quoque *ferocia* ut XXXVIII, 12, 4, et *animi feroces* ut XXXVII, 49, 6 *domantur,* ubi ceterum in *ferocitate* summum pondus est positum. rectum cognovisse Hertzium censeo, qui suspicatur: „*non continuimus.*“ haec enim vox est, quae ad patrem familias, cui omnes decet servire, adhibenda est, quaque Livius, ubi seu in domesticis seu bellicis rebus aliquis coercendus

videbatur, uti solitus est; sic XXXIV, 1, 5: „*matronae* nulla nec auctoritate — nec imperio virorum *contineri* limine poterant;" XXXIV, 2, 10: „quamquam ne domi quidem vos, si sui iuris finibus *matronas contineret* pudor...," XXXIV, 3, 1: „quibus omnibus *constrictas* vix tamen *continere* potestis." XXXIX, 53, 11: „multitudinem suam domi *contineant* (Gallici populi);" XXXIX, 28, 2: „multum ad reliquos Macedonas *continendos* exemplum pertinebat;" XXX, 17, 5: „tacitum *continere* gaudium non poterant..."

Cum igitur res ita se habeat, legendum esse puto:

„*Et quia singulas non continuimus, universas horremus.*"

XXXIV, 5, 8.

In oratione L. Valeri contra legem Oppiam habita editores scribere solent:

„*Accipe, quotiens id fecerint (id est, quotiens matronae in publico apparuerint) et quidem semper bono publico. iam a principio regnante Romulo, cum Capitolio ab Sabinis capto medio in foro signis collatis dimicaretur, nonne intercursu matronarum inter acies duas proelium sedatum est? quid? regibus exactis, cum Coriolano Marcio duce legiones Volscorum castra ad quintum lapidem posuissent, nonne id agmen, quo obruta haec urbs esset, matronae averterunt? iam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum matronae consensu omnium in publicum contulerunt. proximo bello, ne antiqua repetam, nonne viduarum pecuniae adiuverunt aerarium?*"

Disputandum mihi est de verbis „*iam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum matronae consensu omnium in publicum contulerunt?*"

Cum cod. Mogunt. periodum sic ordinatam, ut enuntiavi, praebeat, cod. Bamb. exhibet: „*iam urbe capta a Gallis,*

aurum, quo redempta urbs est, nempe matronae consensu omnium in publicum contulerunt.

Similiter in *edit. Basil.* 1539 scriptum est: „*aurum, quo redempta urbs est, nempe.*“

Gronovius codicem Bamb. secutus est et Drakenborchius Moguntinum obtinuit sentiens verba: „*aurum quo redempta urbs est, nempe*“ nimis frigida esse, quam ut ab oratore sint profecta.

Hertzius quoque et Weissenbornius Moguntinum tenuerunt.

De scriptura „iam urbe capta a Gallis quo redempta urbs est“ quaeritur, utrum vox *urbs* in hoc brevissimo ambitu iure sit iterata an seu subiectum *urbs* seu ablativus *urbe* sit elidendus.

Madvigius in emendat. Liv. pag. 496 coniecit: „*iam capta a Gallis quo redempta urbs est?*“ et M. Seyffertus in novis annal. philol. vol. 83, pag. 824 emendavit: „*iam urbs capta a Gallis quo redempta urbi est?*“ cum igitur ille censeret, Livium in hoc brevissimo ambitu subiectum sententiae in ablativo absoluto inclusum non repetivisse, hic duo verba *urbs* servare sibi visus est, cum diceret, emendatum vocabulum *urbi* significare *civibus*.

Sed neutram coniecturam mihi probari fateor. nam ad Madvigium quod attinet respiciens tres ablativos absolutos:

regnante Romulo,
regibus exactis,
proximo bello,

in tertio quoque membro tempus eadem forma id est ablativo absoluto exprimi consentaneum est. quattuor enim ablativos dico inter se respondere primoque loco collocandos esse. M. Seyfferti autem interpretatione (*urbs* = *civibus*) manente hoc vocabulo locus nequicquam sanatur.

Equidem non nego, in repetito vocabulo *urbs* aliquid duri inesse; sed hoc suspicor sublatum esse, si probatam auctoritatem codicis Bamb. secutus et sententiam: *quo redempta urbs est* ad substantivum *aurum* referens cum edit. Basil. lego: „*iam urbe capta a Gallis, aurum, quo redempta urbs*

est" — quam ad scripturam ob id quoque adducor, quod ablativum *quo (quo redempta urbs est)*, nisi vocabulum *aurum* antecedit, omnino non convenire existimo. quia enim in sequentibus vox *matronae* subiectum est, idque vocabulum per totam periodum summum obtinet pondus, exspectari mihi videtur in eiusmodi verborum ordine haec scriptura: „*iam urbe capta a Gallis, a quo redempta urbs est,*" ut statim appareat, matronas redemisse rempublicam = *als die Stadt von den Galliern eingenommen war, von wem wurde sie losgekauft?*" et si tibi forte occurrat, vocem *aurum*, quia in codicibus diversis locis posita est, in archetypo margini adscriptam fuisse, unde ab interpolatoribus varie in textum inserta esse videretur, dubito primum, num verbo *conferre*, quod quidem apud Livium aliquoties absolute positum est, hoc loco sine obiecto uti liceat, quia id, quod matronae dederunt (aurum enim significat ornamenta) distinguendum esse censeo a pecuniis, quibus § 10 „*viduae adiuverunt aerarium;*" deinde video, scriptorem iisdem verbis *(aurum conferre)* in describenda ea re semper coniunctis usum esse, ut V, 50, 6: „*aurum*, quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis .... in Jovis cellam *conlatum*." et V, 50, 7: „iam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod, cum in publico deesset *aurum*, ex quo .... confieret, a matronis *conlatum* acceperant;" praeterea XXVI, 36, 5: „*aurum* argentum aes .... in publicum *conferamus*," pauloque infra § 11: „senatu inde misso pro se quisque *aurum* argentum et aes in publicum *conferunt;* XXXIV, 6, 14: „*aurum* et argentum omne ab senatoribus eius rei initio orto in publicum *conferebamus*."

Ut igitur, quae adhuc exposui, comprehendam, lego interim cum codice Bamb. et editione Basil. 1539: „*iam urbe capta a Gallis, aurum, quo redempta urbs est, nempe matronae... in publicum contulerunt.*" sed hac in scriptura quam non conveniat particula *nempe*, iam Dukerus et Weissenbornius intellexerunt, nec esse quemquam puto, qui id non sentiat. nam si ad conexum huius alacerrimae orationis animum adverto,

non intellego, cur Livius subito ab interrogatione ad narrationem transierit, et quamquam etiam in vocabulo *nempe* interdum significatio interrogativa inest, tamen hic non apparet, cur auctor tam languidam vocem posuerit, praesertim cum et in antecedentibus et in sequentibus particula *nonne* utatur. equidem cum Dukero et Weissenbornio suspicor, vocabulum *nempe* corruptum et *nonne* restituendum esse; et hoc tenens dico, particulam *nempe* causam fuisse, ut tota sententia verborumque ordo perturbaretur. quid ita? quia interpolatores sensisse mihi videntur, orationem sic constitutam: „*iam urbe capta a Gallis, aurum, quo redempta urbs est, nempe matronae* ...“ male et languide procedere, suspicor eos fecisse interrogationem „*iam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est?*“ — quam sententia affirmativa sequeretur: „*nempe aurum matronae .... contulerunt,*“ ubi etiam vocabulum *nempe* suum locum obtineret. ceterum cum Livium non credam minuisse vim narrationis variandae orationis causa, hanc scripturam non possum comprobare.

Quae cum ita sint observans codicis Bamb., qui coniecturae meae succurrit, probatam auctoritatem censeo scribendum esse:

> „*Iam urbe capta a Gallis, aurum, quo redempta urbs est, nonne matronae consensu omnium in publicum contulerunt?*“

XXXIV, 6, 7.

Cod. Bamb. proebet:

> „*Ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? quae vetus regia lex simul cum ipsa urbe nata aut, quod secundum est, ab decemiris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta, sine qua cum maiores nostri non existimaverint decus matronale servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque feminarum abrogemus?*“

Deteriores codices habent: *quia — aut,*
quia — an,
an — an.

Drakenborchius et ipse legit: *an — an.*

Madvigius in edit.: „*quam vetus? regia lex* ...“

Madvigius in emend. Liv. pag. 497: „*quam vetus? regia scilicet lex* ...“

Weissenbornius et Hertzius: „*quippe vetus regia lex*...“

M. Seyffertus in nov. annal. philol. vol. 83, pag. 825: „*quam vetus? regiane* ...“

His de scripturis priusquam disseram, Weissenbornium oportet refutem adnotantem contra Madvigium: „auch liegt der Nachdruck nicht auf *vetus* oder *regia* oder *decemviralis*, sondern wie auch § 9 auf *sine qua,* da die Gesetze nicht in *alte* und *neue*, sondern in *nothwendige* und *durch zufällige Verhältnisse bedingte* geschieden werden.“ § 9 legitur: „quis igitur nescit *novam* istam legem esse Q. Fabio et F. Sempronio consulibus *viginti ante annis latum?* sine qua cum per tot annos matronae optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculum est?“

Respondeo equidem Weissenbornio, Livium vetustatem et novitatem legum inter se opposuisse idque his de causis: primum enim antea inde a § 4 Valerius exponit, qua ratione in abroganda lege uti deceat; qua in re discernit perpetuas vel aeternas leges „*ex iis nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit aut status rei publicae inutilem fecit*“ et mortales, temporibus mutabiles. ea legum mortalitas in iis, quae sequuntur, magis explicatur. tota igitur sententia: „*quae in pace lata sunt bellum, quae in bello pax abrogat*“ describuntur ea, quae continentur vocabulis: „*quas tempora aliqua desideraverunt.*“ summum igitur pondus situm est in enuntiatis:

1) „*in aeternum latae sunt,*

2) *quas tempora aliqua desideraverunt;*“

tempora autem sunt aut *pax* aut *bellum.*

Deinde rogatione „*ex utro tandem genere lex est, quam abrogamus*" nihil aliud distinguitur, quam utrum lex sit aeterna, an cum tempore mutabilis. sicut antem illae perpetuae et aeternae leges, quoniam quasi fundamentum ipsa cum societate nascuntur, sunt vetustissimae, ita eae, quas tempora aliqua desideraverunt, quod sunt posteriores, novae nominandae sunt. praeterea cum in perpetuitate legum et aeternitate situm est, eas necessarias esse, sunt leges vetustissimae eaedem maxime necessariae. quam viam si persequaris, novas quoque leges intellegas fortuitas esse.

Tum Valerius cum non inter doctos homines, sed in comitiis peroraverit, vetustatis auctoritatem inprimis extulisse mihi videtur opinanti, ab oratore, qui legem aliquam veterem et iam maioribus sacrosanctam appellet, magis moveri populum quam ab eo, qui necessariam eam esse disserat. antiquitati enim omnibus temporibus summum pondus tribuitur et *saepe in antiquis rebus similia veri pro veris* accipiuntur. et ipse Livius, ubi de novandis rebus agitur, libenter novitatem et vetustatem inter se opponit, ut exempli causa videndum est ex XXXIV, 54, 4 et squ.: „horum aedilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit; praebuitque sermones, sicut *omnis novitas solet*, aliis tandem, quod multo ante debuerit, tributum existimantibus amplissimo ordini ...." et infra § 6: „*ad quingentesimum quinquagesimum octavum annum* in promiscuo spectatum esse: quid repente factum, cur immisceri sibi in cavea patres plebem nollent, cur dives pauperem consessorem fastidiret? *novam* superbam libidinem, ab nullius ante gentis senatu neque desideratam neque institutam. postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor eius rei fuisset, paenituisse ferunt. adeo nihil motum ex *antiquo* probabile est: *veteribus*, nisi quae usus evidenter arguit, stari malunt;" cf. etiam XXXIX, 36, 4: „*leges vetustissimas abrogatas.*"

Denique si non tam veteres aut novas esse leges quam necessarias aut fortuitas Livius dicere voluisset, eiusmodi verba non in initio orationis collocasset.

His igitur causis argumentum, quod Weissenbornius contra Madvigium protulit, non satis firmum esse persuasum habeo.

Sed ne coniecturam quidem, quam ille fecit, probare possum, quia, ut omittam, librarium vocabula *quae* aut *quia* cum *quippe* haud facile mutasse, ipsam vocabuli *quippe* naturam huic loco repugnare Madvigius praeclare ostendisse mihi videtur dicens in emend. Liv. pag. 496: „sed *quippe* nunquam sic ponitur initio eius sententiae, quae ironice fingitur, repugnante ipsa vocabuli natura ab interrogando orta; posito ipso illo, quod irridendo fingitur, subicitur cum ironica affirmatione."

Madvigi emendatio: „*quam vetus*" magis quidem convenit, si tantum traditas litterulas respicio, sed aliter res se habet, si porro prospicias. nam ubi primum interrogatum est, ex utro genere lex esset, consentaneum videtur, oratorem respondere idque ita, ut ne vocabulum *vetus* quidem ex responso tollatur nec in interrogationem, ubi pondus verbi plane minuitur, trahatur. in lectione: „*quam vetus?*" quia post hanc demum interrogationem respondetur, voci *vetus* non iam *novus* opponitur, sed summum vocabulis *regia* et *a decemviris scripta*, ita ut tria illa membra „*novus*, *regia*, *a decemviris scripta*" circuitu verbi *vetus* comprehendantur et quasi partes vocabuli *vetus* appareant. huic autem structurae hoc quoque repugnat, quod quem locum adnotatio „*Fabio et Ti. Sempronio consulibus viginti ante annis latam*" apud vocem *novam* obtinet, eundem dico id est appositionis locum apud vocabulum *vetus* duo verba *regia, decemviralis* tenere.

Quaestio igitur est, quem ad modum oratio constituenda sit, ut non modo id, quod equidem postulavi, accidat, sed etiam ea, quae tradita sunt, quam maxime observentur?

Quod consequi mihi videor legens: „*ex utro tandem genere est lex, quam abrogamus? quid? vetus regia lex simul cum ipsa urbe nata, aut quod secundum est, a decemviris scripta*" —, quam lectionem valde sum miratus, cum in editione Basil. 1539 iam esse viderem.

Haec emendatio non solum textui tradito non repugnat,

quia facile fieri potuit, ut ex voce *quid*, quae in codice Bamb. persaepe *quid* aut *qud* scripta est, et *quae* et *quia* proficisceretur, sed etiam ad usum Livianum oratio sic constituta valde accommodata est, cum scriptor, ubi seu alacriter seu ironice interrogat, eiusmodi forma dicendi libenter utatur. sic, ut pauca exempla afferam, legimus XXII, 14, 12: „*quid?* post multos annos cum ad Furculas Caudinas ab Samnite hoste sub iugum missi sumus, utrum tandem L. Papirius Cursor iuga Samni perlustrando an Luceriam premendo obsidendoque et lacessendo victorem hostem depulsum ab Romanis cervicibus iugum superbo Samniti imposuit?“ XXXIII, 13, 6: „*quid?* nobis, inquit, Philippe, reddisne tandem Pharsalum et Larisam.“ XXXIII, 39, 7: „sed ut in Asiam adventu eius dissimulari ab Romanis tamquam nihil ad eos pertinens potuerit, — *quid?* quod iam etiam in Europam ... transierit, quantum a bello aperte Romanis indicto abesse?“ XXXIV, 5, 9: „nonne intercursu matronarum inter acies duas proelium sedatum est? *quid?* regibus exactis ... nonne id agmen ... matronae averterunt.“ XXXVIII, 49, 2 et 3: „*quid?* si urbem eo loco haberent et moenibus se tenerent? nempe oppugnandi erant. *quid?* ad Thermopylas aequone loco M. Acilius cum rege Antiocho pugnavit? *quid?* Philippum non eodem modo super Aoum amnem iuga tenentem montium T. Quinctius deiecit?“ — XXXXV, 39, 6: „an noctu (variae pretiosae res) — in aerarium deportabuntur? *quid?* illud spectaculum maximum — rex captus, ubi victori populo ostendetur?“ XXXXV, 39, 13: „alias (vistimas) alio caedente mactabitis? *quid?* illas epulas senatus, quae nec privato loco nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, — auctore Servio Galba turbaturi estis? XXXIV, 3, 2: „*quid?* si carpere singula... — patiemini...“

In hac autem emendatione „*quid?*“ hoc quoque examinandum est, num scribere liceat „*quid? vetus* regia...“ an ponendum sit „*quid? vetus n e* regia...?“ — est quidem apud Livium non alienum, particulam interrogativam deesse, cum

persaepe vocis sonus sufficiat ad alacrem interrogationem efficiendam. sed ubi alacritas orationis adhibito vocabulo *quid?* iam adest, in sequentibus particula interrogativa saepe invenitur, quod ex sententiis etiam, quas supra protuli, videndum est. sed tamen multa quoque exempla exstant, ubi post praecedens *quid?* particula interrogativa deest ut XXXIV, 3, 2: *quid?* si carpere singula et extorquere et aequari ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis?" XXXXV, 39, 13: „alias (victimas) alio caedente mactabitis? *quid?* illas epulas senatus — auctore Servio Galba turbaturi estis?" ita ut, quamquam in lectione *vetusne regia* perfacile syllaba *ne* confusa cum *re* videretur, tamen malim traditum textum observem legens: „*quid? vetus regia lex.*"

Ad extremum dicas forsitan, in hac sententia interrogativa vocabulum *aut* in secunda parte tibi non probari exspectarique particulam *an.* — Sed tamen hoc mihi persuasum est recte se non habere, quia hoc loco particula *aut* solum partes vocabuli *vetus* distinquuntur, neque interrogatur, utrum lex regia sit an a decemviris scripta, set num *vetus* sit, quod esse existimo, sive reges sive decemviri eas tulerunt.

Quae cum ita sint, cum haec mea coniectura sensui bene conveniat, cum textus quam minime mutetur, cum denique usus Livianus observetur, non vereor scribere:

> „*Ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? quid? vetus regia lex simul cum ipsa urbe nata aut, quod secundum est, ab decemviris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta, sine qua cum maiores nostri non existimarint, decus matronale servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque feminarum abrogemus?*"

XXXIV, 6, 10.

Cod. Bamb. praebet:

> „*Nam si ista lex aut ideo lata esset, ut finiret*

libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret."

Vulgata: „nam si ista *lex ideo* lata esset," quae etiam in edit. Basil. 1539 exstant.

Madvigius suspicatus est, adiectivum, quo vetustas contineretur, omissum esse legitque: „si ista lex *aut antiqua aut* ideo lata esset;" hoc probavit Hertzius; Weissenbornius in edit. Teubn. vulgatam secutus est, in edit. Weidm. ex Ald. recepit „*aut* x x ideo lata esset" adnotans: „der zweite Disjunktivsatz scheint ausgefallen zu sein; schwerlich war derselbe *aut antiqua,* da dieses mit *verendum foret* ctr. in keiner Beziehung stünde."

Huic equidem sententiae non consentio. exposui enim iam antea, leges non dividi in *necessarias* et *fortuitas*, sed in *veteres* et *novas*, quam rationem quia Weissenbornius non probat, denuo non permittere videtur, facili mutatione textum restitui. cum enim dicat, leges necessarias et fortuitas a Valerio appellari, non concedit, hoc loco legem nominari *antiquam* „da dieses mit verendum foret ctr. in keiner Beziehung stünde." et si concederem eiusmodi partitionem, tamen, cum iam in vetustate legis contineatur, eam necessariam esse, quia leges veteres id est regiae et decemvirales eiusmodi erant, sine quibus respublica videretur constare non posse, re vera verendum esset, ne abrogata incitaret libidinem.

Deinde ex verbis, quae § 8 et § 9 praecedunt, perspicuum est, legem, de qua agitur, non esse veterem, sed novam, et oratio inde producitur. Livius igitur relicta de legis aetate quaestione, quae § 8 et 9 exposita sunt, singulis verbis amplexus novas res, ut naturam legis cognoscat, investigare parat. quare par esse mihi videtur, Livium respicientem praecedentia dicere, si lex *vetus*, id est quasi fundamentum rei publicae esset, vel vitium feminarum naturae insitum iam a principio opprimendum esset, scilicet verendum fore, ne cum lege pudorem abrogemus, si vero *nova* est, quaerendum esse, qua de causa sit lata; nam si ideo, ut finiret libidinem, item

verendum esse, ne pudorem cum ea abrogemus; sed cur sit lata, ipsum indicat tempus.

Et ut verba tradita examinem, cum non intellegam, qua forte particula *aut* in textum venerit, nihil reliquum videtur, quam ut exciderit vocabulum, quod ad ea, quae sunt de aetate praemissa, pertineret.

Sed ne Madvigio quidem assentior censenti in emend Liv. pag. 497: *aut antiqua* scribendum esse. immo Livium. suspicor, vocabula, quae summum obtinent pondus in eadem narratione non mutasse, sed observasse, ut maxima momenta quasi auribus quoque et oculis obversarentur, qua re praefero vocem *vetus*. particulam *aut* semel ponere satis est, ut legatur: „nam si ista lex *vetus aut* ideo lata esset ...;" etenim in scriptura *uetus aut*, nisi forte in archetypo ut persaepe in cod. Bamb. syllaba *us*, quod secundum Gitlbauerum iam maioribus litteris usitatum erat (cf. pag. 60), — „*us*, es, e, icus, obus, os puncto (.) tantum indicantur" — per notam et idcirco vox *vetus* scriptum erat aut *uet'* aut *uet*; perfacile duobus verbis *uet' aut* confusis vox *vetus* intercidere poterat. — emendo igitur:

> „*Nam si ista lex* vetus aut *ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abragata incitaret.*"

XXXIV, 16, 9.

Codex Bamb. una cum deperdito Mog. habet:

> „*Ad hunc vanum rumorem Bergistanorum civitatis septem castella defecerunt. eos deducto exercitu consul sine memorando proelio in potestatem* redegat. *haud ita multo post eidem regresso Tarraconem consule, priusquam inde quoquam procederet, defecerunt.*"

Vulgo edebatur: „*in potestatem* redegit. *haud ita*..." et recentiores incerti, quid faciendum sit tradito *redegat* servarunt adhuc *redegit;* Weissenbornius autem legit in edit. Teubn.: *redigit.*

Equidem considerans quam dure sequens sententia „*haud ita multo post* ..." cum praecedente coniuncta sit, codicis vestigia pressius sequens mihi videor meliorem lectionem eruisse. puto enim in vetustioribus codicibus fuisse: *redeḡ. at* ... id est: *redegit. at* ... — cf. Jaeckius: „Viele Alphabete und Schriftmuster in Bamberger Handschriften" ctr. vol. II, fol. IX, 4 et XI, 7; et Mabillonius: „de re diplomatica" pag. 369; cf. etiam Gitlbauerus pag. 61: „MIS. = misit; pag. 63: PROVOC| = provocet; LIC. = licet; SCILIC. = scilicet.

Deinde incredibile est, quam saepe particula *at* per librarios oblitterata sit et cum aliis syllabis commutata. accedit, quod duas sententias: „eos ... *consul* ... in potestatem *redegit*" et „haud ita multo post *eidem* ... *defecerunt*" contrarias et verba *redegit* — *defecerunt* graviter inter se oppositas esse censeo.

Itaque cum hoc loco perfecto tempore opus sit et adversativa particula aptissime cedat, deinde cum duo codices tam mire inter se consentiant, equidem scribo:

„*Eos deducto exercitu consul sine memorando proelio in potestatem* r e d e g i t; a t *haud ita multo post eidem regresso Tarraconem consule, priusquam inde quoquam procederet, defecerunt.*"

INDEX LOCORUM,

QUOS EMENDASSE MIHI VIDEOR.

II, 21, 4: »Tanti errores *implicant temporum rationem* aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec *qui consules secundum quos*« . . .

XXII, 59, 14: »Illud etiam in tali consilio animadvertendum vobis censeam — cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet, qui *velut* hospitum numero captivos habuit?«

XXIII, 5, 5: »Quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut, *quasi qui* aliquid habeamus« . . .

XXIII, 9, 7: »Vultum ipsius Hannibalis — tu sustinebis? *ut ab aliis* auxilia desint« . . .

XXX, 18, 7: »Et *ut acie permixtus*, *ubi* cuspide, *ubi* comminus gladio *uti* posset, eques Romanus maioris roboris erat, ita« . . .

XXX, 29, 4: »Hannibal nihil quidem eorum, quae nuntiabantur, — laeto animo audit, maxime *tamen sui* hostis fiducia, *quae* non de nihilo profecto concepta *esset*, *percussus est*.«

XXXIV, 2, 12: »Quid enim nunc aliud per vias et compita faciunt quam rogationem tribunorum plebi suadent, *ne dicam* legem abrogandam censent.«

XXXIV, 2, 2: »Et quia singulas non *continuimus*, universas horremus.«

XXXIV, 5, 8: »Iam urbe capta a Gallis, *aurum*, *quo* redempta urbs est, *nonne* matronae consensu omnium in publicum contulerunt.«

XXXIV, 6, 7: »Ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? *quid*? vetus regia lex simul cum ipsa urbe nata aut, quod secundum est, a decemviris scripta« . . .

XXXIV, 6, 10: »Nam si ista lex *vetus aut* ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret« . . .

XXXIV, 16, 9: »Eos deducto exercitu sine memorando proelio in potestatem *redegit*; *at* haud ita multo post eidem — defecerunt.